

DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,

Orthodoxorum Medicorum Patrono,

QUÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS, manè discutienda in Scholis Medicorum, die Martis vigesimâ-tertiâ mensis Aprilis, anno Domini M. DCC. LXXI.

M. PETRO ARCELIN, Doctore Medico, Præside.

An infantûm vagitus cunarum succussionibus compescere Noxium?

I.

OMO, naturæ decus, quantùm in virili ætate ad robur athleticum accedere videtur, tantùm in ætatulâ maximæ debilitatis præbet argumenta. Ubi primùm in lucem prodiit, omnigenam continuis ferè clamitationibus quærit opem, ut obtineat utilia, nocivaque amoveat : sed materno ut plurimùm substractus uberi, novercæ traditur quæ, lucro non amore allecta, suis tantùm commodis inservire

allaborat. Quot exindè incommoda ! Quot morbi pueris accerſantur ! ætate debiles ſubſidium in emptitiâ curâ vix reperiunt. Fruſtrà vagitibus dolores exprimit, aut vitæ poſtulat neceſſaria ſuî non compos infans ; fruſtrà moleſtum commutare ſitum corporis nititur ; irritos , quidquid agat , conatus edit. Anguſto linteorum velamine revinctus compreſſos nequit artus extendere , & in cunis reſupinus quaſi ſub prælo detinetur. Hinc prima mali labes : coacto torpeſcit otio, dùm natura motum indicat functionibus ritè peragendis neceſſarium. Quæ ad œconomiæ animalis utilitatem meliùs profeciſſent , totæ in edendis vagitibus vires impenduntur. Hujuſce incommodi conſciæ nutrices , aut vagitûum pertæſæ ſtridulos compeſcere ſonos repetitâ cunarum agitatione moliuntur ; tunc enim cerebri præſertim fibrillæ concutiuntur , inſolitoque motu quaſſati humores in vaſculis hærent , indè obſtupeſcit infans , ſpirituum imminùitur copia ; occluduntur palpebræ , ſucceditque ſomnus merè ſimultaneus & paſſivus : ceſſant interim gemitus ; ſed intùs crudeliter ſæviunt , occultè quamvis, ſopitæ malorum cauſæ.

I I.

PERDIFFICILIS nutricûm delectus : Medicus in hâc optione princeps methodum , præcepta , conditionem tradit : ex iis exquiſitè diſcendum , quæ ſit natura infantis , quis habendus exindè finis , ne quid ejus ſanitati , nutricûm imperitiâ , contingat ? Maxima corporis humiditas, mollis ac delicatiſſima fibrarum textura , ea eſt infantûm prima conſtitutio : humiditatem conſumere, fibris robur conciliare , mala præſentia dignoſcere ac depellere , hic eſt ſcopus ad quem nutrix non minùs ſagax quàm provida collimet neceſſe eſt. Nùm infanti ſomnum factitium cunarum nimiâ agitatione excitando à triplici hoc fine declinent conſiderare opus eſt ? Ex moderato naturalique ſomno eximiæ manant utilitates , ſcilicet exhauſtis ſpiritibus novam eorum fabricam elaborare , progreſſivo ab intimis viſceribus ad corporis peripheriam calore, coctum optimè tranſpirationis humorem foràs eliminare , ſicque vires ſanguini , fibris elaterium addere : at verò è ſomno repetitis cunarum ſucceſſibus adventitio ac præternaturali non parva proſtant incommoda ; hinc ſanguis ferè decomponitur , luxurianti ſero inundantur fibræ , minori ſanguinem vaſa quatiunt elatere , torpeſcit circulatio, intra textum cellularem adipoſa nidulatur congeries fictam mentiens ſanitatem, innumeriſque anſam præbens malis. Nùm hujuſce contagii immunes pueros præſtituras ſe arbitrantur iſtæ fæminæ ? Minimè gentium : quin minùs intempeſtivo ſomno totiès accerſito malorum iliadem infanti ab ovo cumulant.

I I I.

AB iſtâ ſanè teterrimâ methodo infantuli fibræ molles , jam laxæ & madidiores adhuc emolleſcunt , laxantur , & ſerum combibunt ; ſed nec minus detrimentum delicatulis infantibus cunas concutiendo quotidiè infertur. Incaſsùmne

igitur de pueri maximâ ſenſuum debilitate nos docuit ſapiens natura, quæ primis à nativitate diebus corneam membranulâ obducere curavit, ne oculum radii ſolis, ſi eum immediatè afficerent, inſolito idcòque vividiori lumine percellerent: quæ auris tympanum in apertum protulit, ne in imo tortuoſi canalis anfractu conditum collectis ac repercuſſis ſonis obtunderetur? Fruſtràne monuit natura quàm delicatè tractandi ſint infantes, ſi à nutricibus modo tàm rudi ſuccutiantur? Nonne jam ſatis diris convulſionibus laborant hi miſelli, ut nova iis, nova vertigini vomitibuſque æruginoſis anſa præbeatur; nauſeas etiam & colicos dolores ab iſtis ſuccuſſibus quis dubitaverit? ita ſe res habet: enim verò lacte veſcuntur infantes; ſi lac agitetur, acceleratur ejus decompoſitio, butyrum ſeparatur, remanet in ventriculo ſerum, cujus aciditas ac vis noxia motu expanſa ad partem exquiſitiſſimo ſenſu pollentem καρδία dictam ob ſupinum infantis in cunis ſitum appellitur, cardialgiaſque valet procreare.

I V.

INTEREST puerorum vagitus compeſcere: principiis obſta, cauſas ſcruteris: clamitat infans; Quid mirum? Libero ſe agitare motu, ac per ſomnum ſuos artus paſſim diſpergere expoſcit; captivo vincula exime: mox cùm exoptatâ libertate priſtinam recuperabit hilaritatem. Quis ita coarctari undique adultus non ingemiſceret? Quis, præſertim ſi graciliori fibrâ donetur, intrà fœtidam ſordium cloacam computreſcere molle corpus ſuſtinebit? Huic infantis clamorum cauſæ munditie nutrices primò occurrere poſſunt: ſed alia urgent mala quibus facili interdùm negotio opitulari penès medicum foret, ſi ad eum dociles ſtatim confugiant: is meconium primis diebus diligenter expellendo, acidum lactis corrigendo, lacteæ, pultaceæ, ſolidioris denique diætæ tempora & modos adſcribendo multa tormina, multas ſiſteret convulſiones, &c... Quidquod ex parciori lacte dato ſævientem famem, ex copioſiori econtrà alimento coquendo imparem ventriculum querulis vagitibus demonſtrent infantes. Supereſt denique nutricibus facilis ſæpè vagitus compeſcendi modus in mirabili eâ ſympathiâ quâ pueri, dùm vident alios ridentes, ridere & ipſi ſolent; & ſic innoxiè inter exultantis blandèque jocantis nutricis amplexus ſuorum ſæpè malorum fuerint immemores.

V.

NATURALEM igitur pueri conſtitutionem nutrices ſedulò explorent, medicorum præceptis dociles obtemperent, & mox de nocivo cunarum ſuccutiendarum uſu deſciſcent. Enimverò nonne jam ad ſomnum ex ſuâpte naturâ ſatis proni ſunt infantes, quin etiam ad eum ſint excitandi pravâ methodo. At, inquiet aliquis, puerum in cunis agitando nutrix naturæ leges ſequitur: oſcillatorios enim fœtûs uterinis aquis immerſi motus omninò mentitur. Sed quàm à recto deviat tramite. Tantùm enim uterinæ oſcillationes à cunarum agitatione

discrepant, quantùm zephirus ab austro, quantùm tremula placidi maris agitatio à procelloso ejusdem tumentis impetu. *Omne violentum est naturæ inimicum* : idcircò insolitis & repetitis cunarum succussionibus quasi sufflaminatur circulatio, operantur ubique stases, obstupescunt spiritus animales, illorum acies obtunditur, ipsaque pulposa cerebri labefactatur moles, & brevi jacens iners hebetatur infantulus. Tutiorem ergò vagitus compescendi methodum accipiant nutrices; vinculis expediant tenerum corpus : aptum tempore idoneo præbeant esurienti pabulum; caveantque versando cunas somnum conciliare cujus pernicies plurimis confirmatur experimentis, undè concludere pronum sit :

Ergò infantûm vagitus cunarum succussionibus compescere Noxium.

Proponebat Parisiis HENRICUS-JOANNES BAGET, Parisinus, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus, Theseos Author. A. R. S. H. 1771.

A SEXTA AD MERIDIEM.

Typis *Quillau*, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Typographi 1771.